DE LINIMENTIS.

§. 64.

Linimentum ſive *Litus* ab unguento in eo differt, quod plus olei contineat, ad ſuam compoſitionem ſpirituoſa recipiat, hinc unguento mollius ſit.

Linimentum eſt reſpectu unguenti id, quod eclegma reſpectu electuarii.

§. 65.

Ad præparationem linimenti apta ſunt

1. quæcunque ad unguenta & balſama accommodata diximus; requritur ſolummodo, mollior ut ſit conſiſtentia. Hac ex ratione

2. Olea expreſſa & *cocta* *præſertim*, atque

3. ſpirituoſa, volatilia cum oleoſis non raro ad efficiendum linimentum recipiuntur e. g. ſpiritus ſalis ammoniaci, ſpiritus cornu cervi & ſimilia.

In ſignatura jubetur, ſi volatilia ad linimenti compoſitionem fuere præſcripta, & conſiſtentia non obſtat, ut detur ad vitrum: minor fit hoc modo partium volatilium jactura, & facilior redditur ante uſum nova ſubactio.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147584-p0078-8 DFG

EXEMPLA FORMULARUM.

℞. Butyri de Cacao.
Balſami peruviani ſingulorum drachmam unam.
Olei deſtillati ceræ guttas decem.
M. F. Linimentum D. ad fictile.

℞. Olei olivarum unciam unam ſemis.
Tincturæ cantharidum.
Spiritus cornu cervi ſingulor. unc. ſemis.
M. D. ad Vitrum. S. Linimentum, quod partibus affectis bis de die infricetur, ſemper ante uſum vitrum bene commovendum.

℞. Camphoræ drachmam unam.
Solv. in
Olei olivar. uncia una.
add.
Salis volatilis oleoſi Sylvii unciam ſemis.
M. D. ad Vitrum S. uti præcedens.

℞. Unguenti nervini offic. unciam unam.
Spiritus ſalis ammoniaci vol. drachm. duas.
Camphoræ drachm. unam.
M. F. linimentum D. ad ollam veſica bene clauſam. S. Linimentum nervinum.

℞. Olei infuſi menthæ uncias duas.
ſtillatitii menthæ.
aniſi.
cumini ſingulorum guttas decem.
M. D. ad Vitrum S. ſerviat pro ventris inunctione.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-147584-p0079-6 DFG